

Bibliothèque numérique

medic@

**Andry, Nicolas - candidat / Maillard,
François - président. - An mundus
senescat ?**

1695.

Paris

Cote : ms 80 n°1486

Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparae, & sancto Lucae orthodoxorum Medicorum Patrono. (1786)

Lug 14 86

Q U Æ S T I O M E D I C A

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nona Maii.

M. FRANCISCO MAILLARD, Doctore Medico, Præside.

An mundus senescat?

MUNDUS est omnium quæ creata sunt universa compago; pars ejus supra cælum, infera tellus; hæc aquis, illa sideribus adornatur: ær inter utramque medius est, ignis ubique fusus; hujus & illius multa varietas. Sydera fixa sunt vel errantia; disparēs eorum facies, ortus & occasus, cœtus ac discessionēs. Dividunt aquam maria, flumina, fontes; hujus incolæ pisces, aves æris, animantia cætera terræ. Sic ordinatæ mundi partes ab initio stant integræ; si quæ corrumpuntur, non illæ pereunt, sed in novas mutantur formas prioribus non impares.

HANC rerum mutationem regit spiritus *divinus* mundo cœvus senique purus: is non *divinus* quoqueversum diffunditur communis omnibus, singulis proprius; dispersa quæque colligit, confusa certo disponit ordine; cuncta fovet & intrus alit viventia, parcius in metallis, copiosius in plantis, in animalibus Uberrimus; servat antiquos naturæ partus, caducos reficit, amplificat novos. Miraris in hac universitate tenuissimâ spiritus aurâ tot & tanta moveri corpora, Ventum inspicere, cujus impulsu tellus ipsa succutitur, Ventus tamen spiritus est: quod quid igitur actuosius eo magis exors materię: Hinc spiritus *particularis* mole minimus, virtute maximus, Virtus hæc annorum victrix eadem nunc est quæ quondam fuit. Olli quoque subjectam materiem nec in cælestibus attritam, nec in inferis rebus effretam reperias; adeo dives & ineshaustus naturæ fundus, quem admirari aliquanto facilius est quàm penetrare.

SUSPICE fulgentes Calorum globos, metire, si potes; an illi mutati loco, minuti lumine, potestate, spatio: nonne novæ nobis illuxerunt stellulæ? si quæ veteres evanuerunt, eas ne putes extinctas; Micant alio sub cæli curvamine forsân ad nos aliquando regressuræ. Solis & Lunæ conversiones an aliæ quàm piscis temporibus? defectiones, maculæ, nûm majores, nûm frequentiores? æstus maritimi, diei noctisque vices, tempestates anni, numquid eodem sibi tenore succedunt quo sub incunabula Mundi? quem noverat antiquitas in hæc inferiora Lunæ dominatum, nonne sentiunt & hæc ætate posteri? demûm, quæ nova martis & saturni congressio Morborum prænuucia, qui Mercurii, qui Veneris adspæctus insolentes, quæ signa, qui cometæ ferales prærendunt mundo faces: quæ tanta nunc imbrum multitudo *meteorologica* minitatur? quæ fulgura, quæ tonitrua prælagiunt astrorum deflagrationem?

ERRAT itaque toto cælo, qui cælum arguit senectutis: opus illud planè divinum lucet hodie quasi recens à conditore. Pariter ær, nec humoris nec caloris insiti jacturam fecit: Purus is affulsit primis parentibus, an nunc mutatus ab illo: si quando vitatur, semotis vitii causis, pristina restituitur indoli. Quin & ipse Ventus æris *prima* & *ultima* nec deterior nec in salubrior longinquitate temporis; & ut olim nascente mundo, ita jam consistente fluida quæque perflât corpora, ne quiete computrescant; an sui desunt italis Favonii, Græcis *Επύροι*, Boreas Thracis? Porro, quid aquis decessit de bonitate? fontanæ, fluviales, an minùs leves, minùs limpide: an *Υδροφύται* marinæ, Asthmaticis metallice minùs salutare? In rivis, lacubus, oceano, quæ piscium, quæ conchylium genera desiderantur? Terram, quâquâ calcatur, circumspecte. Quid in montibus, quid in valibus imminuit annorum series? nûm frutices, arbores? sed feliciùs hodiè seruntur, adolescunt. Nûm ligna, radices, semina, cortices? sed in iis vires adhuc integerrimæ. Nûm fructus nostrates? sed hi meliores hæc ætate, quâ blandos ab homine sâpores mutantur, dum per varia arborum adulteria sunt veniùs quàm nascuntur. Insuper, à multis retrò seculis, an deterius avium pecudumque genus? Parcorum numerus, species eadem, carnes æquè *πλεονεξαι*, *εὐχρημα*. An Homines primi proceriores nepotibus? An robustiores, *ὀψιγενεῖς*, Vivaciores? Statura corporum, vis, sanitas, eadem nostro tempore quæ præterito. Necdum patimur epitomen prisce longævitat. An femina steriles hæc tempestate? nunquam nuptiarum mellis uberior; Partus nunquàm frequentiores, feliciores: etiam quinquemestres aliquando vitales.

EAPROPTER, quæ splendet integritas in singulis mundi partibus, hæc cur universo mundo negabitur? Totus itaque durat hic Orbis semper antiquus, semper novus: Viget & spiritus nostratis anima mundi: Viget & humana gens in dies oculatior, solertior: Florent & artes innumerae quæ quondam jacebant ingloriæ: Medicina, paucarum olim herbarum scientia, tam ambitiosa nunc est, ut in rerum disquisitione modum nesciat, licet rebus omnibus modum ponat. Quot adimunt anni recedentes mala, tot secum ferunt venientes commoda, tot opes, tot remedia primis incognita mortalibus. Ne credas igitur ab illâ veterum naturam nostram deflexisse: communis hæc parens profert adhuc id quo radiant gemmæ, rutilat aurum, fulget purpura, micat electrum: populis abundè suppediat, undè sua regibus aut dona ferant, aut tributa solvant, sabsis thura, seribus vellera, persis lapillos, indis aromata.

Ergo mundus non senescit.

M. Franciscus Fasfas Allet, Medicus Regis ordin.
M. Joannes-Baptista Dodart.
M. Philippus Douré.

M. Amador Douré.
M. Franciscus Gouss.
M. Nicolaus Brunet de la Carrière.

M. Alexander-Michaël Demas.
M. Claudius de Prades.
M. Abrahamus Thovart.

Proponebat Parisiis NICOLAUS ANDRY, Lugdunius, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.